...artianus

Tulikowski Nicolai: Laus superstes in munere parentali D. Martiani a Chelm

Chełmski Scibor

LAVS SVPERSTES

IN

Munere Parentali

Magnifici Domini,

D. MARTIANI

à CHEŁM

CHEŁMSKI SCIBOR

Succamerarij Generalis Palatinatus Cracou. Wielicień. Bochneń. Ryczyuolień. Vstień. &c. Capitanei, Aulici S.R.M.

A

M. NICOLAO SVLIKOWSKI Coll. Minore Ordin. Eloquentiæ Profeßore

Gloriosæ Memoriæ.

Liberalissimi Patroni Collegij Minoris Academici Consecrata.

CRACOVIÆ,
In Officina Christophori Schedelij, S. R. M. Typog. A. D. 1641.

i.

Lauda post mortem, magnifica post Consummationem, duplici tamen ex causa, utilius est homini memoriæ laudem dare, quam vitæ ut illo potissimum tempore merita sanitatis extollas, quando nec laudantem adulatio mouet, nec laudatum tentat elatio. Lauda ergo post pericula, prædica securum, Lauda nauigantis felicitatem sed cùm peruenerit ad portum, Lauda Ducis virtutem sed cum perductus est, ad triumphum Quis autem diues possit sine trepidatione laudari, qui & de præterito meminit se habere quod doleat, & de futuro videt sibi superesse quod timeat. D. Ambros. in Natali S. Eusebij.

LAVS SVPERSTES.

IN Academiâ Cracouień. Auditoribus florentissimâ, Magistris eruditissimâ, Regum immunitatib9 fortunatissima. Nos Collegæ Minores Nobilissimo Heroi, Mecænati & Patrono, meritissimo de Repub. Succamerario Crac, Professores omnium artium & Scientiarum, Supremum amorem, cum gratitudinis affectu, talem cōtestati sumus, qualem ille omnibus argumentis, & viuis indicijs, omnis generis, Conditionis, fortunæ, testari solebat mortalibus. Vtinam diutius, & Collegium Minus suis amplissimis beneficijs obstringeret, & meritis patriam nostram, quam formidolosis & grauibus

 pericu-

periculis, & conſilio, & ſumptu, exornabat iuuaret; Nunquam ad funeſtam, quam nūc luctu proſequimur, deueniſſemus orbitatē. Sed poſtquam prudentiâ in iudicijs, eloquentiâ in Comitjis, robore in bellis, conſilio in publicis politiſsimorum hominum conuentibus, vbique locorum dexteritate ſuâ Reipub. Conſuleret & prouideret, illud pectus eruditiſsimum, & Caput ſapientiâ plenum, non vlla violentia mortalitatis eſt ſuppreſſum: Sed in Capitolium Sanctioris vitæ, plenum annorum & meritorum maturitate eſt tranſlatum. Etenim mors terminus vitæ, & finis rerum viciſsitudini & mutationi obnoxiarum, licet ſuam potentiam in viuo oſtendiſſet, quæ vt tot Cæmeteria Pontificum, tot ſepulchra, ac Mauſolea Regum, tot tumuli Principum, tot buſta ciuium teſtantur, iuriſdictionem in mortalitate exerceat, cùm Patriæ Ciuem, Virum Reipub., Caſtris Militem, Muſis Patronum, Eccleſiæ defenſorem, Regibus delicium eripuiſſet, tamen eius perennem gloriam la-

bori-

boribus ac ſudoribus bellicis acquiſitam ac propagatam, non potuit eripere, & lucem in remotis partibus terræ radiantem non valuit obſcurare. Viuet hic Heros genere inclytiſsimus, dignitate Succamerarius, officio Capitaneus, Viuet, inquam, omnium in iucundâ recordatione, eruditorum admiratione, Patrum Deo conſecratorum in ſupplicationibus, Viuet in bonis proborum Ciuium deſiderijs, doctis Muſarum elogijs. Cùm in eo omnes in hac dignitate conſtituto, quam laudabiliter & honorifice geſsit, exemplar vitæ, prudentiam conſilij, ſuauitatem eloquentiæ, dexteritatem adminiſtrandarum rerum, celeritatem exequendorum negotiorum, diutiſsimè ſuſpicient & imitabuntur. Mihi verò in hac corona florentiſſima Nobilium Virorum non dolendū eſt, ſed gaudendum, quòd ad eius præclariſsimas virtutes, dotes naturæ & fortunæ exornandas, parem animi & ingenij facultatem afferre non poſſem. Cùm eas ipſe in ampliſſimis Regum Capitolijs, in Subſellijs grauiſ-

ſimis

ſimis iudicum, in Tribunalitiorum iudiciorum Sacroſancta curiâ, non ſucatis ſed viuis expreſsit coloribus. Non ergò tenui & mediocri dictioné mea, eius ampliſsimam augebo opinionem, qui ſua præſtantia, & honorum dignitate, apud eos qui nec nouerant hominem, maxima probitate vitæ, dignitatis amplitudine, inclareſceret glorioſiſsimè. Cùm eius animi ſedes & domicilium beatarum mentium eſt cœlum, ita nominis eius ampliſsimi, famâ & gloriâ quæſiti & propagati non niſi cœlorum eſt ambitus. Quod illi non mobilis aura popularis, non eblandita officia, non amicorum ſtudia, ſed labor militaris, cura pertinax de bono publico promouendo, augendo, de ſalute Ciuium, ſedula ſolicitudo apud Reges Inuictiſsimos Sigiſ. III. & VLADISLAVM IV. comparauit. Non aggrediar ergo ieiunus, & infirmus ex Schola & vmbra Rhetor eum, quem ſuſpenſæ imagines, veteris gloriæ & potentiæ monumenta exornant, poſteritati cõmendare. Sed cum Fabio Max.

Præ-

Præpotenti Deo gratias immenſas agere in-
cipiam, qui in funere Scipionis Africani, ſu-
peris immortales reddebat grates, quòd il-
lum in Repub Rom. naſci voluerint, quòd
neceſſe erat ibi terrarum imperium eſſe, vbi
ille natus fuiſſet. Ita MARTIANVS CHEL-
SKI in quo Regno natus eſt, theatrum veræ
Nobilitatis, officinā bellatorum & virtutū
omnium Palæſtram eſſe oportuit. Et tamet-
ſi ille domo vetuſtâ, & magnis meritis in
Rempub. illuſtri profectus eſt, non multum
tamen ſibi laudis vendicabat ex auorum ce-
lebritate gloriari, & facta celebria ſuorum
Patrum, quæ ipſe non fecit, vix ſua putauit.
Iuuenilem ætatem, non in luxu, non in ga-
neis, non in luſtris & popinis, non in volu-
ptatibus, quibus illa lubrica ætas, facilè ca-
pi & deliniri ſolet, ſed optimis artibus ho-
neſtis diſciplinis, curauit impendere. Egit
primam ætatem in Acad. Crac. in Porticu
Sapientum, in Collegio Minori, inter Pro-
feſsores, vbi militare ingenium, Ciuis boni
indoles, priſcis belli Ducibus, & retroacti
ſæculi

ſæculi Oratoribus gloriam præreptura in literarum cultu, & humanitate adoleuit. Vt ſi domi in pace, & otio, Conſulendum foret Reipub. conſuetudini clarorum virorum, Studijs vacaret, ſolertiaque mentis aſſequeretur, quibus artibus Reſpub. & ſimul imperia floreant. Adijt illa Gymnaſia, quæ Doctorum Virorum perſonabant vocibus, frequentauit Lectoria, in quibus futuræ vitæ præſidia, pietatis & eruditionis hauſit præcepta. Docti Profeſſores ex eius ſedulitate in ſtudijs ſuſceptâ, tanquam Themiſtocli, non quid mediocre, ſed magnum aliquod bonum allaturum ominabātur. Non fefellit inſtitutionem Academicam Sarmaticus Themiſtocles, nec Maiorum ſuorum ſpem & deſideria eluſit. Cùm animum ſuum bonis artibus informâſſet, & ſe præſidio literarum corroborâſſet, à literis prima cura eius fuit in Reipub. ſalute defendēda. Viderunt enim ampliſsimi Ordines in ætate MARTIANI noſtri, nondum Conſilio, & iudicio maturiore corroborata, prope ſenilē

matu-

maturitatem, viderunt inter affectuum diſſidentium æſtus, inſignem moderationem, viderunt eam mentis placabilitatem, quæ tempeſtates illas non raro exorientes, habenis rectæ rationis moderabatur. Et cum nō vulgaria prudentiæ ſuæ in Patria expreſiſſet indicia, nomē ſuum militiæ dedit, ex Philoſophorum vmbraculis ad Solem, ex Gymnaſiorum Palæſtra, in cruentam arenā Martis deſcendit, vt ſe totum arctiùs impenderet Reipub, & aſtringeret impenſiùs charitati Patriæ, qui ita fuit tyro in militia, qualis veteranus & exercitatus in militari diſciplína non fuiſſet. Imitatus eſt Druſum Tyberij filium, qui ab in eunte ætate paternâ domo in Illyricum diſceſsit, ne in domeſticis delicijs pigreſceret, aut laſciuijs æqualium corrumperetur; ſed vt militum beneuolentiam pararet, bellatorum eximiorum gloriam æmularetur, Militaribus laboribus diſciplinæ aſſueſceret Non diſsimili ratione MARTIANVS CHELMSKI Polonus hic Druſus, & inter bellatores bellator præſtan-

tiſsimus,Paternis ac maternis blãditijs ſpretis, delicata educatione neglecta, per prærupta mõtium, per vligines conuallium, per fluminum incrementa,per æſtus nocituros, in Vngariam diſceſsit, extra patriam, vbi erant hoſtes aperti Turcæ, infidi amici, ignoti Ciues, timeri poterant, vitæ ſuæ ac domeſticarum blanditiarum immemor, ſalutem ſuam alijs fato ſeruientem, atrocibus prælijs, Caput illud, quod conſulere debuit patrijs negotijs, diſcrimini multoties Turcam hoſtem Chriſtianitatis perſequendo, commiſit. Redijt ex Vngaria, non ſine præmijs Imperatorum, victorijs illuſtratus, & laude non mediocri inſignitus, non tædio aliquo bellorum deuictus, ſed à Ductoribꝰ exercitùs, Patriæ ſpe honorum ampliſsimorum in Regno Poloniæ euocatus. Germanicus olim à populo Romano ex bello contra Ariminũ Germaniæ populatorem, vrbium vexatorẽ, feliciter confecto, magna cum lætitia, ingẽti applauſu, eſt receptus victor rediens in vrbem. Pari ratione nobilium decus MAR-

TIANVS CHELMSKI, in patriam reuerſus eſt, quem tota Polonia in oculis ferebat, in delicijs Rex potẽtiſsimus habebat, ampliſsimus Senatus in pretio ponebat. Mox Rex ſapiẽtiſsimus in numerum Aulicorum ſuorum cooptauit, Vexilliferum qui omnem fidem Ciuium in hoc florentiſsimo Regno, ſpem vel opinionem cæterorum longiſsimè ſuperâſſe videretur. Qui nouâ lege, inſolita & in audita argumenta ſui muneris reliquit, ad defendendam ſalutem Regis & Patriæ integritatem conſeruandam, prodigus ſanguinis & vitæ propriæ, animum inuſitato more obſtringebat, qui cum ferrum contra hoſtes Patriæ acueret, animum ſimul ad pugnam accendebat. Nulla ætas, nulla gens, nulla eloquentia, feruorem eius pugnandi, aut diſsimulabit aut pro meritis extollet. Citiùs genus hoſtium, quos ille armis vicit, terrore fugauit, conſilio diſsipauit, celeritate oppreſsit, quàm ille interibit. Poſt Vaſtatam Podoliam, poſt direptum Pocuciũ, poſt templa ac delubra Cineribus obruta,

poſt cruentatum ſtrage & tabo Tartarorum ſimul & Ciuium noſtrorum Iſtrum, Profectus eſt ad Chocimū, per ruinas, ac rudera, per fuſi ſanguinis riuos & deformium rerū ſpectacula. Cedendum eſſe putans Regiæ principumque voluntati, ac communi neceſsitati, ſiſti quidem ſuarum victoriarum curſum, ac felicitatis filum abrumpi, ſed gloriæ ſibi ſatis futurum, ſi patriam trāquillam florentemq́; videret. exiſtimans. Nouū bellum à Septemtrione exortum eſt in Pruſſia, quæ, antequam aduenturū hoſtem Mari Balthico crederet, capta eſt. Triſtis erat facies Reipub. & plane conclamatæ res Patriæ, cùm per Guſtaphum Adolphum expilatæ vrbes, ſacrilegijs templa defædata, delubra ruinis & ignibus temerata, cùm hoſtis immaniſsimus, in ſanguine ciuium tepefactum gladium per Prouinciam & vbertate agrorum, & omnium rerum affluentiâ felicem vibraret. In tanto terrore MARTIANVS CHELMSKI tot præliorum victor metum ac terrorem per Pruſsiam circumtulit.

Quid

Quid ad Mariæburgum, propugnaculum illud non viribus humanis, aut arte operosâ, ſed ipſâ naturâ vel labore ſuperûm conditũ, quod non Africa, non Aſia, non exercitus Annibalis, non Pyrrhi legiones, non Antiochi milites, non multitudo Perſarum, non Medorum faſtus, expugnare valuiſſet, MARTIANVS CHELMSKI bello victorioſus, pace clarus, gladio formidandus, ſago inuictus, toga nemini ſecundus, quid inquam geſſerit, hiſtoricorũ deſcriptionibus & annalium veritati relinquo. Vidit & inuidit Sudermanus pulcherrima indicia fortitudinis, in corpore laborum patientiſsimo aſſueto militiæ, magnam dignitatem admiratus eſt, in qua certiſsima prudentiæ ſigna notis probitatis admixta cernebãtur. Vidit Derſauia animum ad omnia ſumma paratum, Martis lorica coopertum, & dexteram eius ferro communitam victricem experta eſt. Vidit Meuum quod MARTIANI gladio, nihil arduum videbatur, ab illo ſalus amicis, exitium hoſtibus parabatur. Vidit dum

Machinæ laxarentur, dum tormentorum globi emitterentur, dum icti glande plurimi morerentur, à languidis præ dolore vulnerum loca desererentur, in ardore ipso pugnæ, compositis manibus Cœleste Numẽ de victoria compellare, ad fossas vrbi proximas, per cruenta cadauera accurrere, ad certamen campestre ex tegumentis murorum hostes, tanquam greges talparum in cauernis terræ latitantes, prouocare audijt. In vno MARTIANO CHELMSKI, non vna singulatim virtus, domicilium sibi collocauit, sed ad vnam omnes concurrerunt. Communi ordine, & quasi lege naturæ sic constitutum esse comperimus, vt alter in bello famam acquirat, in pace alter suum nomen obsolescere non permittat. In vtroq; excellens, & in sago & in toga fuit MARTIANVS CHELMSKI. Quomodo in toga ex acquisitis bellorum honoribus claruerit intelligamus. In Tribunalitio solio Marschalcum considentem, iura & leges discutiẽtem, prudentiâ, sua quasi manu versantem Ecclesiæ

 splen

ſplendorem tot præclariſsimis Conatibus promouentem intueamur. Nullis rebus ſic applaudit mortalitas, nihil tanta cum læti-tia Celebrat, nihil ſic poſterorum animis, in fixum inſidet, vt ſi quid iuſtè liberaliter ab aliquo in faſtigio dignitatis collocato aga-tur. Talis enim ab interitu Rempub. ad ſa-lutem, ex periculis in ſecuritatem, ex turpi & fœda ignominia, ad honorificam maie-ſtatem reſtituit. Qui enim leges iuſtitiæ nõ obſeruat, pietatis iura violat, ſubiectos re-gni perdit, in extremas conijcit miſerias, & ad deplorandam calamitatem detrudit. Quo tempore inſoleſcit ſuperbia, graſſatur crudelitas, & Tyrannis, quæq; vitiorum monſtra regna inficiunt & infeſtant. Non ſine cauſa Ægyptij ſuos Reges omni cultu, & plane paterno amore proſecuti ſunt, ma-ioreq; charitate ferebantur in Principes iu-ſtos, & æquos, quam in genuinos filios & v-xores chariſsimas. In MARTIANVM CHELM-SCIVM amor erat incredibilis, propter ſin-gularem eius iuſtitiam, quam ille ita Sacro-

ſan-

ſanꝺte,ita pie ac religiosè coluit & obſeruauit, Vt maluerit fortunam bonorum, fauorem Principum, vitam ipſam pro incolumitate iuſtitiæ amittere, quàm leuiſsimâ maculâ ſplendorẽ tantæ virtutis offuſcare. Tanto ardore æquitatem complexus fuerat, vt non ſolùm eam Marſchalcus iudicij Tribunalitij fortiter defenderit, ſed morte & heroico ſuo ſanguine, non ob ſignare modo voluerit, ſed propagare. Alexander terror orbis, & domitor tot regnorum bellicoſiſsimus, potens & inuictus euaſit, quod iuſtitiæ amans, ita aliorum querelas atq; accuſationes audire eſt ſolitus, vt aurem vnam deferenti, alteram defendenti reſeruaret. Illo enim præſidente iudicijs Tribunalitijs, non valuit iniquitas, valuit virtus, non lædebatur honor cuiuſquam, ſed extirpabatur improbitas, in diſcrimen & periculum fortunæ & facultates innocentium non vocabantur, ſed oppreſsi ciues aliorum potentia, conuicti iniuſta iniuria improborum, in ſpem melioris fortunæ erigebantur, recreaban-

bantur in ſua calamitate. Quis legum obſeruantior? quis ipſo Sanctior cuſtos? iniuriarū ſeuerior quis vindex? Non quicquam dicendum de ſeueritate, à iudicio Tribunalitio, non aliter quàm olim à Sacris Eleuſinis, impij, nefarij, iniuſti, voce præconis ſubmouebantur, arcebantur corruptores cauſarum, ejiciebantur præuaricatores legum, exterminabantur peſtes Reip. & iudicum, adulatores, verſutijs inſtructi cauſidici à ſubſellijs tanquam pondus inutile aëris abalienabantur. Tanta taliſq; fuit in MARTIANO CHELMSKI iuſtitia, eius celebritatem nominis fama per omnes partes orbis diſſeminauit, vt nullus fuerit oppreſſorum, qui eius iuſtitiam ignorauerit, nullus ad leges natus reperiebatur qui illius legū interpretationem nō approbaret. Singula memorare non vacat, à iuſtitiæ claritate ad munificentiæ laudem, tandem aliquando deſcendamus, quoniam eo nos quaſi fortuitus quidam ſed tamen commodus Orationis impetus deduxit. Poſt iuſtitiam propria illi fu-

 it libe

it liberalitas, hoſpita eius, & domeſtica, domi, foris, apud ſuos, externos, etiam apud hoſtes. Quid ille ad Eccleſiæ ſplendorem, templorumq; ornamentum, puri auri, cœlati argenti non contulit, monilia gemmea, periſtromata ſericea, inauratas veſtes, in quibus præter adamantes gēmæ intertextæ ad vſum ſacrorum conficiebat, diuorumq; templis conſecrabat, Orphanorum, Viduarum, & aliorum pauperum indigētiæ ſuccurrebat. Non poſſùm includere iuuenili Oratione vnica, illam liberalitatem, qua ipſum Auguſtum Cæſarem ſi non ſuperare at adæquare videtur, qui militem donis, populum annonâ, omnes otij dulcedine in amorem ſui pellexit. MARTIANVS CHELMSKI nouo genere beneficij muſas Academicas, Collegium minus & in amorem, & in perpetuæ gratitudinis affectum attraxit. Quis auditus Principum qui collegij Minoris Profeſſoribus, qui exiguo peculio viuūt, grauiſsimos labores, in ſua mediocritate fortunæ, in vſum Reipub. ad incrementum

Eccle-

Eccleſiæ ſuſtinent & perferunt, amplisſimã Bibliothecam legaret. Munificentisſimus & doctisſimus MARTIANVS CHELMSKI legauit. O Patronum eximium, non in Septemtrione natum, ſed cœlo datum firmiter credimus. O liberalem Mecænatem, non Regibus, ſed diuinis ipſis Heroibus comparandum, non calamis, non coloribus oratorum exornandum, ſed aureis verbis decorandum. Quanto magis Hadrianus Imperator, Diris, Furijs eſt deuouendus, qui obſtruxit venas fatidicas Caſtalij fontis, ſaxorum ingenti mole, ne vt ipſe ſe imperaturum præcinentibus aquis cõpererat, etiam alij ſimilia docerẽtur. Tantò magis ad cœlum eſt euehendus CHELMSKI, qui Collegij Minoris dilatauit flumina librorum ingenti numero, vt ipſe cum honore in Repub. ſe vixiſſe cognouerat, ex inſtitutione Academica ita etiam his gradibus ad dignitatum faſtigia voluit erudiri poſteros. Hanc virtutem, cũm officio gratitudinis MARTIANO CHELMSKI rependunt, illum non modo

celebrem iudicant, ſed quod gratiorem Collegium Minus non habuerit, nec ſol aſpexerit ſibi benigniorem Mecænatem ſummis elogijs deprædicant. Deumque precantur ore, animis, qui tanta cum Sanctitate vixit, vt æternùm viuat, quem ſemper in hac mortalitate viuere optabant, in illo immortalitatis Capitolio æuo ſempiterno perfruatur. Quem amor in Minus Collegium ſedibus beatarum mentium inſeruit, eum inter præclariſsima Regum facinora terris, atq; poſteritati conſequenti innouantibus ſæculis redonet. Non magnopere hic opus eſt meo præconio, cum recens acceptorum beneficiorũ memoria viuit, viuetq; in animis Profeſſorum, vt pro me hæc ipſa liberalitas non modo in Coll. Minus ſed pæne quam longe lateq; patet regnum Poloniæ effuſa loquetur, & in omnem quoq; deinceps æternitatem locutura videbitur.

DIXI.